

# NUMERATIO FRACTO- RVM NUMERORVM.

## CAP. VI.

**Q**uemadmodum in superioribus nume-  
ros integros numerauimus, pluresque  
propositos in vnâ summâ collegimus,  
atq; vnū ab altero subduximus, duos itē quo-  
cunq; inter se multiplicauimus, & deniq; v-  
num per alterum sumus partiti; ita in his, quæ  
sequuntur, eadē efficiemus in numeris fractis,  
qui alio nomine Minutiæ, fractionesve dici  
solent vulgares.

**Numerus  
fractus.  
sive fra-  
ctio Mi-  
nutiæve  
quid.**

Est autem Fractio, Minutiæve, siue numerus  
fractus, vna pars, vel plures partes alicuius  
totius in plures æquales partes diuisi. Vt si to-  
tum aliquod sectum sit in quinque partes æ-  
quales, & quispiam ex illis sumpserit vnâ,  
dicetur illa quinta pars numerus fractus.  
Sic etiam, si quis duas, tres, aut quatuor ac-  
ceperit; dicentur duæ illæ, tres, vel quatuor  
quintæ partes numerus fractus.

**Numerato-  
r & De-  
nomina-  
tor fra-  
ctionis  
quid.**

Constat quælibet Minutiæ duobus nume-  
ris, qui in ea proferenda exprimuntur. Primus  
dicitur Numerator, quia numerat, quot partes  
cōtineat fractio proposita ex illis, in quas to-  
tū, cuius est fractio, diuisum est. Alter appel-  
latur Denominator, quia denominat illas par-  
tes fractionis, hoc est, indicat, in quorū par-  
tes totū intelligitur esse diuisum. Vt cum pro-  
ponitur fractio continēs tres quintas partes,  
Numerator est 3. quia significat, in illa fra-  
ctione cōtineri tres partes totius; Denomina-  
tor vero est 5. quia indicat, tres illas partes nō  
esse qualescunq; sed quintas. Scri-